

Bibliothèque numérique



**Bonaventura Boulay, François -  
candidat / Botentuit Langlois,  
Pierre-Mathurin - président. - De Radii  
superioris extremitatis dimotione in  
infantibus frequentiori**

**1787.**

*Paris : Typis Michaelis Lambert,  
Regii Chirurgiae Collegii  
necnon Academiae Typographi,  
viâ Cithareâ,  
Cote : ms 2346, n°20*



D. O. M.

---

*DISSE*  
*RAT*  
*TIO*  
ANATOMICO-CHIRURGICA

---

*DE Radii superioris extremitatis dimotione in infantibus frequentiori.*

**F**RAC TURIS s̄epiūs quām luxationibus laborare pueros constat; ab hoc tamen morbo non prorsūs immunes sunt. Frequentissima enim, eā aetate, Radii superioris extremitatis dimotio: de quā

A

2

dicere cùm aggrediamur, partium anatomen breviter premittemus.

### EX ANATOMIA.

In inferiori humeri extremitate, anteriùs & posteriùs pauculum complanatâ, quatuor apophyses reperiuntur: duae longius à se remotæ, articuloque nihil inservientes condyli dicuntur, externus alter, alter verò internus. Inter hos condylos prominet internè cochlea, externè parvum humeri caput: illa cubito, hoc Radio respondet, utrumque cartilagine obducitur.

Radii superior extremitas in caput desinit, cujus summitas leviter excavatur, dum in periphæriâ cylindrico terminatur ambitu, internè & posteriùs magis prominenti; sustentatur collo brevi, versùs exteriora patùm incurvato: cartilagine undique levigatur, & summitate depresso parvum humeri caput recipit, dum ambitu prominenti in parvâ cubiti cavitate sigmoïdeâ recipitur.

Vario ligamentorum apparatu radius in suâ sede continetur; in hoc enim valdè complicato articulo alia communia sunt, alia propria, & quatuor recensentur, nempè capsulare, lateralia duo, & annulare, ex quibus tria tantùm aliquam cum Radio connexionem habent, capsulare scilicet, annulare & laterale externum.

Capsulare ligamentum ossium capita latè ambit, & tria ossa communi continent articulo: tanquam membrana coercendæ synoviae dicata considerari potest, aur veluti substratum quoddam quo cæteræ seu ligaminum seu muscularum, fibræ commodius inseruntur.

Lateralia ligamenta utrinque à condylis descendunt: primò in

*funiculos coacti*, mox in plures fibrarum fasciculos dividuntur;  
explicantur, dilatantur, & ad ossa postbrachii vergunt, ita  
tamen ut externum non ad Radium usque protendatur, sed  
ligamento tantum capsulari adhæreat: hic variis tendinibus  
firmiter adstringitur, & ita cum iisem connectitur, ut a  
quibusdam pro eorumdem tendinum continuatione habitum  
fuerit.

*Annulare ligamentum* in cartilagineam ferè substantiam  
indurescens, ab extremitibus parvæ cavitatis cubiti sigmoïdeæ  
oriundum, ad radium transversè fertur, ejusque caput circum-  
cingit.

Duplici motu gaudet Radius: nempè cum, flexo alternis &  
extenso post-brachio, cum cubito simul abripitur, nullus aut  
ferè nullus inter capitis ambitum & parvam cavitatem sig-  
moïdeam motus adest, sed depresso ejus caput in vicinam  
humeri cochlear eminentiam decurrit: cum vero supinus  
pronusve circà cubitum illabitur, tum lateralis inter os  
utrumque post-brachii ginglymus adest, dum Radii caput in  
humeri parvo capite velut in axi rotatur.

Varii ad varios illos motus exercendos inserviunt musculi;  
quorum figuram, situm, compositionem, insertiones, connec-  
tionem & usus præsenti sermone, ne longius hoc programma  
protrahatur, exponere conabimur.

#### *E C H I R U R G I A.*

Aptè sibi respondentem ossium connexionem, ligamen-  
torumque quibus confirmatur articulus numerum & robur  
attentè consideranti cuilibet difficulter admodum videbitur.

A ij

7

Superioris Radii extremitatis dimotio; & quidem in adulcis  
xarissimè occurrit: in infantibus verò, cùm multò debilior,  
remissiorque sit eorumdem ligamentorum compages, cùm  
præsertim annulare ligamentum quod ætate proiectiori carti-  
laginis ferè naturam induit, tūm laxa potius membrana  
videatur, cùm tandem molliores adhuc partes numerosioribus  
irrorentur vasis que majorem iis flexibilitatem conciliant, nou-  
mirūm si levi de causa sæpius oriatur. Sed quid fit? Paucis ut  
plurimūm stipatur accidentibus: ferè nulla partium deformitas,  
nullus tumor, dolor tolerabilis, motus adhuc plurimi exer-  
centur: hinc facile in errorem delapsus Chirurgus nihil adesse  
mali pronuntiat: Ossa proindè dimota remanent, & tunc  
tantum res quæ sit agnoscitur, cùm reductionis spes omnis  
evanuit. Licet igitur in tenui labor forsitan videatur, non in vanum  
omnino insudavisse putabimus, si frequentem minùsque notum  
morbū certā diagnosi, propriâque curatione insiguiverimus.

Titubanti gressu incedens puer, seu fallente vestigio, seu ipsâ  
crurum debilitate sexcenties in die labitur: & sæpè ipso lapsu,  
aut sæpius etiam dūm incautiūs è terrâ sublevatur, Radii supe-  
rior extremitas ab humero simul & cubito dimovetur (1). Id  
fit autem quia promptius auxilium datus adstans quilibet  
unam tantum infantis manum apprehendit, eumque Radio in-  
cubitum prono, ab humo tollit, proindè que illud os ultrà mo-  
dum in naturalem pronationis sensum abripitur, ita ut inferiori  
extremitate depresso, cubitoque medio, quantum fieri potest,  
innixum, alterâ extremitate promineat, & è suo dejiciatur arti-

---

(1) Idem accedit, cùm strictriores induendæ sunt vestes, puerique prona-  
 manus in manicas violentijs, & nullâ cautelâ adhibitâ, impellitur.

3

culo: ac demum extenso, per vim illatam, annulari ligamento, à parvâ cubiti cavitate sigmoïdeâ depellitur Radii capitis ambitus, ipsiusque caput humeri eminentiam relinquit, deindeque, prout huc aut illuc iactus impulsusve dirigitur, prout plus minusve contrahuntur musculi, ac tandem ex vatio ligamentorum juncturam ambientium robore, aut extus aut anterius fertur, sed ita tamen ut à situ naturali parum distet (1).

Levia primùm levem dimotionem comitantur symptomata; nam, si supinationem excipias, æger qui parum aliundè dolet; omnes ferè post-brachii motus liberè exercere potest; sed gravius, si dimota remanserint ossa, ingruit detrimentum. Ligamenta enim ultrà tonum extenduntur; muscularum mutatur directio, vicinæque comprimuntur partes: hinc vasorum ingurgitatio, cellulosa telæ ab effusis humoribus infarctio, synoviæ effusio, vel, imminuto motu, condensatio, concretio; ac tandem ossa contrà naturam conglutinantur, omnisque juncturæ intercipitur motus. Tristius etiam quandòque minatur malum, in morbum enim qui scrophulum æmulatur nonnunquam degenerat, ut testatur celeberr. D. Duverney, ut nos ipsi pluriès vidimus. Ex his patet quantopere morbum, qui neglectus tam gravis evadit, cognitus verò nullo ferè negotio curatur, adprimè dignoscere conducat; sequentibus autem signis se prodit.

Post iictum, lapsum, nisumve quemlibet, aut violentiorem

---

(1) Hic videtur quantum celeberr. Duverney qui primus hanc luxationis speciem descripsit opinioni aduersetur: clariss. enim ille vir ab humero tantum dimoveri Radium contendit, lateralí ipsius articulo integro & illæso remanente: sed anatomicis cognitionibus studiosè revocatis, morbique accidentibus, ut & ossa reducendi modo ritè & sedulò persensis, nostra, si dicere fas est, potior sententia videbitur. Vid. Duverney, lib. 2. pag. 181.

manū in pronationis sensum inversæ contorsionem, statim ab omni supinationis motu cautus abstinet puer; post brachium semi-flexum, manusque prona remanet: si quid ori ferre cogatur infans, carpi juncturam quam maximè flectit, caputque inclinat, ita ut ad manum potius demitti, quam manus ad caput elevari videatur: si in supinationis sensum vergat manus, dolorem clamoribus prodit eò acutioribus, quod fortius aut diutiùs tentatur motus, hoc autem cessante, cessat dolor; noctu vero identidem vagitus edit puer, quod nempè brachium imprudens per somnum moveat, doloresque motibus revocet. Pro certissimo igitur indicio habendum est, quod prona semper manus, absque magno dolore supinari nequeat: nam si commemorativa revocentur signa, proindeque attendatur non sensim & per gradus subrepisse malum, sed subito post lesionem externam motus impeditos fuisse, & à scrophulo, & ab articuli infarctione, & à quo libet alio morbo peculiaris hæc Radii dimotio distinguetur.

Faustissimi ominis erit prognosis morbi qui eò tantum quod ignoretur, gravis evadere posset, & si quod adhuc, reductâ luxatione, remaneret impedimentum, non ab ipso morbo, sed à luxanti causâ in viciniam quoque agente, ut putâ, è confusione simultaneâ nasceretur.

Ut reducatur illa Radii dimotio, puer ministræ genibus infidet, quæ brachium versus scapulam retinet. Chirurgus alterâ manu carpum, alterâ superiorem post-brachii articulum apprehendit. Pollicem capiti Radii admoveat, cæteris digitis cubitum amplectitur, duoque ossa premit, & dimotum Radii caput ad suam restituït sedem; quod ut obtineat, post-brachium supinari cogit & simul flectit, ita ut ad exteriorem scapulae summitatis partem feratur manus. Flexionis autem & supina-

tionis motus eodem instanti exerceantur necesse est, alioquin aut fieri nequit, aut imperfecta remanet reductio. Radii caput congruenter in suum rediisse articulum dignoscitur levissimo crepitum qui digito potius quam aure percipitur. Brevissima deinde resolutivo quovis medicamine tincta, aut nulla quandquam adhibetur fasciatio: nam, reducta luxatione, derepentem cessat omnis dolor, & posteram die, ( saepius etiam ante ) liberrimos omnes articulus recuperat motus.

HANC DISSERTATIONEM, Deo juvante, & Præside  
M. PETRO-MATHURINO BOTENTUIT LANGLOIS,  
Artium & Chirurgia Magistro, Scholarum Moderatore, an-  
tiquo Scholæ practice Professore, Regiae Chirurgorum Aca-  
demie Socio, in Supremo Senatu Patrone, tueri conabitur  
FRANCISCUS BONAVVENTURA BOULAY, Parisiensis in  
almâ Universitate Bituricensi Artium Liberalium Magister,  
nuper in Parisiensi magno Nosocomio, dicto l'Hôtel-Dieu,  
Chirurgus internus, Dissertationis auctor.

Die Sabbati 7 mensis Julii anno R. S. H. 1787, à sesqui-  
secundâ post meridiem ad septimam.

PARISIIS,  
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.  
PRO ACTU PUBLICO,

E T  
MAGISTERII LAUREA

Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ  
Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cytharei.

M. D C C. L X X X V I I.

